33

FACVLTATIS MEDICÆ DECANVS

IO. HADRIANVS SLEVOGTIVS

MED. D. ANAT. CHIRVRG. ET BOT. P. P.

ITEMQVE MEDICVS DVCALIS PROV.

PROLVSIONE

DE

INCERTA PLACENTÆ VTERINÆ SEDE

Omnes atque ſingulos arti Medicæ faventes

AD

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

DE

T E N E S M O

D. V NOVEMBRIS MDCCX

habendam

SOLENNITER INVITAT.

J E N Æ

LITTERIS KREBSIANIS.

Q. D. B. V.

Cum noſtris moribus receptum ſit, inauguralium diſſertationum invitationibus, proluſionis loco, brevem evolutionem thematis alicujus præmittere; placuit nobis in præſentia, intra profeſſionis limites manere, & ex Anatomia, quæ *de incerta placentæ uterinæ ſede* caſus & experientia nos docuerunt, in medium afferre. Quod dum agimus, neutiquam variis appellationibus mollis hujus, rari atque laxi corporis, quod foecundi uteri internam ſuperficiem cum externo fœtus velamento, (perperam ἀλλαντοειδὲς, rectius χορίον vocato,) connectit, immorabimur; an ſcil. cum Hippocrate ſimpliciter *caro,* & cum Veſalio, lib. 5, de Fabr. C. H. c. 17, p. 421, eumque ſequente Hieron. Fabricio, de Form. fœt. part. 1, c. 3, p. 38, *carnea ſubſtantia* dicendum ſit; aut ſec. Gab. Fallopii obſervationes anatom. ab eſculenta illa maſſa, ex diverſis famis remediis compacta, quam mole & figura refert, *placenta*, Germ. der Mutter Kuchen appellari debeat: vel potius, ad mentem Julii Cæſaris Arantii, ob colorem & officium, quod in præparando & depurando fœtus nutrimento cum hepate commune habere dicitur, *jecur uterinum* nominari mereatur. Neque enim apud Dionem, Demonſtr. anat. 2, p. 143 & 146, ſatis accurate *ſecundina* audit; cum in foro medico *ſecundarum* & *ſecundinarum* nomine membranæ foetus, ſimul cum placenta & funiculi umbilicalis parte veniant, & idcirco a Germanis emphatice die Nachgeburth appellentur; quod ſecundo quaſi partu poſt fœtum edi ſoleant: quas ſemel tantum, antequam embryo mortuus prodiret, ex utero propendere vidimus; ceu, lugubre mortis ſubitaneæ præſagium, quam mater, ab impetuoſa profuſione ſanguinis, facilem cadaveris extractionem mox excipiente, enecta obire cogebatur.

Multo

Multo minus de materia ejusdem cum illis litigabimus, qui eam inter *parenchymatis*, tantopere apud veteres decantati, ſed prorſus hodie ex partium catalogo ejecti, ſpecies referentes, verbis Veſalii, l. c. *nulli in univerſo corpore ſubſtantiæ proximius, quam peculiari lienis carni conferri poſſe volunt;* aut, Galeno præeunte, comm. in S. 5, aph. 45, cum recentioribus autoribns *adenoſam;* Warthono autem judice, *non omni ex parte talem*, ideoque, ſecundum alios, *ſpongioſam* potius ſtatuendam eſſe putant. Facile enim erit, de ſubſtantia ejus atque mechanica conſtructione judicare, ſi in mentem revocaverimus, eam propter communicationem ſanguinis materni cum infantili factam eſſe, &, autore Drelincurtio, Conceptus de conceptu & ſyſtem. de hum. foet. part. 2, perioche 20, ex numeroſa acinulorum congerie, fibrillis umbilicalibus, circulatim in uterum expanſis, accreta coaluiſſe. De figura rotunda, plana, in medio craſſiori, & ſenſim verſus marginem attenuata, nemo ambigit. Hinc licet Faber quadratam cum angulis obtuſis viderit, incertum tamen eſt, annon a manu obſtetricis ita diſtorta fuerit. quod ipſum etiam de quinque prominentiis, juſto ordine per circumferentiam diſpoſitis, quas Th. Bartholinum, Anat. ref. lib. 1, c. 39, p. 304, deſcripſiſſe legimus, intelligendem venit. Neque enim in centum placentis ſimile quid obſervavimus: ut pene inducamur credere, naturam conſtanter rotunditatem amare, nec, quod bis hoc anno in gemellis cernere licuit, ſi plurium infantium placentæ in unam coaleſcunt, eandem mutare. Vt proinde illud jecur uterinum monſtroſe longum appareat, quod Norimbergæ trium puellorum funiculos diſſitis in locis ſuſtinens, a Mich. Rup. Beslero, Obſerv. anatom. medic. ſingular. appictum eſt. Ex quibus ſimul patet, hoc viſcus nequaquam ad numerum fœtuum multiplicari, ut Verheyen An. C. H. tr. 2, c. 3, p. 219, opinatur: nec, quod Riolanus tradit, ejusdem ſexus prolibus unicum, diverſis autem diſtincta dari: cum Bartholinus, l. c. trimellos, ſexu diſpares, unica placenta copulatos viderit, & contra ea unicuique ſororum gemellarum ſuam peculiarem ſuperiori anno obtigiſſe meminerimus.

Majorem difficultatem ſitus hujus viſceris, recte definiendus, parit. Cum enim antiqui eum obiter ſaltem conſideraverint, elapſi demum ſeculi Anatomici rem accuratius inveſtigarunt. Inter quos J. Riolanus, Enchir. anat. lib. 2, c. 38, quaſi aliud agens,

)(2 nimis

nimis generaliter jecur uterinum parietibus uteri agglutinari ait. Nec firma animi conſtantia Isbr. Diemerbroeck in hoc negotio verſatur, Quamuis enim lib. 1, Anat. C. H. c. 29, p. 278, ſemini virili, ab utero concepto, duas membranas, ex muliebri genitas, circumduci, harumque exteriori mox lanuginoſam, hinc carnoſam mollemque ſubſtantiam, qua mediante utero adnectatur, in *ſuperiori ejus regione* affundi ſtatuat, eoque ipſo fundum connexionis terminum haud obſcure indigitet; planius tamen p. 282 mentem ſuam explicaturus, dubitanter eam interdum in dextra, interdum in ſiniſtra, interdum in anteriore, interdum in poſteriore uterini fundi parte affigi aſſerit.

Gab. Fallopius, γνήσι@ Veſalii, deſignati ſui ſucceſſoris, ex ſcriptorum ejus lectione, diſcipulus itemque cenſor, certiorem de ſede hujus maſſæ ſententiam laturus, Obſ. anat. p. 198, lat. b, ita loquitur. *Obſervavi in omnibus, quas ſecui fœminis, aut in partu, aut poſt partum ſtatim, aut ante ipſum mortuis, carnem illam, quæ placenta a me dicitur, ſemper adhærere alteri tantum uteri parti, in quam deſinit foramen, a meatu ſeminario* (tuba) *veniens, atque illud quoque notavi, foramen hoc eſſe quaſi centrum totius ſpatii, quod a placenta occupatur.*

Fallopio pollicem premit Regn. de Graaf, ſagax mulierum organorum, generationi inſervientium, ſcrutator, libelli ſui c. 15, & Biblioth. anat. Tom. I, p. 474. Cum enim haud levem de placentæ ſitu ſentientium varietatem, illorumque alios eam in antica uteri regione, alios in poſtica, dextra item ſiniſtraque quærere deprehendat, dubitat equidem ab initio, ſe certum ipſi locum aſſignare poſſe; cum ovulum, primis diebus libere in cavitate uteri conſiſtens, ibi demum fixam ſedem & placentam acquirat, cui diutius adhæret: ſed mox ſeſe colligens, in ſeqq. erumpit verba: *ſi adhæſionis locus determinandus foret, Fallopii verbis, ſupra recitatis, ſubſcriberemus; quandoquidem ovum, quod motu tubarum quaſi periſtaltico, deorſum propellitur, alteri uteri angulo potius, ob loci anguſtiam & humoris viſciditatem, ex tuba promanantem, quam alibi agglutinabitur.*

Graafio antiquior Hier. Fabricius, relicto Fallopii, Præceptoris ſui, & ſimul in Profeſſionis munere anteceſſoris dogmate, lib. cit. part. 2. p. 80, *ſoli matricis fundo carnoſam ſubſtantiam* congrue aptari, ſequentibus rationibus evincere conatur: quod (1) is locus magis venis, quam alius refertus ſit; (2) ſanguis ex loco ſublimi ſuo pon-

pondere excurrat, & facilius a fœtu attrahatur, ſecus ac in inferiore loco fieret: (3) remotam quoque eam carnem hoc modo a ſudore & urina embryonis eſſe, a quibus ipſa pariter ac vaſa laxari poſſent: nec (4) hoc pacto a fœtu premi.

Inſignis hujus Anatomici veſtigiis Henricus a Deventer, vir artis obſtetricandi callentiſſimus, inſiſtens, in tractatu, ab interprete Neues Licht der Hebammen ſalutato, χειρὶ καὶ ποδὶ καὶ πάσῃ δυνάμει non niſi fundum placentam ſuſtinere oſtendere conatur, & pag. 64, nullum, qui hoc negaverit, fore perſvaſus, neutiquam obſtetricum, ſe eam lateribus adnatam, aut non procul ab orificio deprehendiſſe dicentium, teſtimonia admittenda eſſe putat: cum uterum aliquando in obliquum moveri ignorantes, ſitum fundi locumque ſecundinarum diſcernere nequeant. Vt autem aſſenſum lectoris ſibi comparet, exemplo laborioſæ extractionis ſecundinarum dicta roborat: ſed irrito, niſi fallimur, conatu. Quandoquidem leviter ſaltem in embryulcia exercitatus videt, nulla in iſto caſu, ubi placenta in dextro latere hæſit, operoſa manus contorſione, aut adeo dolorifica ejus appreſſione ad os ilium opus fuiſſe, modo autor ſuam dextram operi admoviſſet. Deinde minus veroſimile videtur, manum, poſt eductam placentam, denuo utero immiſſam, adeo accurate in hujus fundo iſtius veſtigia deprehendiſſe. Neque enim flexile hoc, & ſanguine, per novem menſes collecto, grave viſcus, ſimulac a fœtu ejusque aquis & ſecundis, iſtud valde diſtendentibus, vacuum redditur, inſtar veſicæ inflatæ (ut a Scip. Mercurio, Viardel & pleriſque aliis inepte pingitur) expanſum manet, ſed, inſtar crumenæ inanis, ſtatim ſponte in magnas rugas concidit, quas ſine dubio tractio & evulſio ſecundinarum valde auget; ut vix ac ne vix quidem credamus, manum embryulci adeo verſutam fore, ut accurate plagas fundi, cornuum & parietum vicinorum, inter tot ſulcos atque plicas, a ſe invicem diſcernere queat. Nobis certe ſemel iterumque valde moleſtum fuit, lubricum hoc corpus, funiculo orbatum, & circumcirca adhuc matrici adhærens, a memoratis rugis, ſatis bene illud mentientibus, diſtinguere. Vt parum abſit, quin illas obſtetrices commiſeratione magis, quam pœna dignas cenſeamus, quas in Ephemer. Germ. D. 2, A. 1, nec non apud Blegny, Mauriceau, aliosque infeliciter uterum protraxiſſe legimus.

Sed linquamus iſta, robur potius argumentorum Fabricianorum perpenſuri, an per ea placentæ perpetua in fundo ſedes confir-

mari queat. Sed minus eadem ſufficere, mox patebit, ſi adverſus primum ex Biblioth. anat. Tom. I, p. 458, 500, & 501 figuras uterorum Graſianos & Svvammerdamianos produxerimus, ex quibus haud minorem vaſorum copiam ad latera, quam ad fundum tendere conſtabit, docueruntque nos tot gravidarum uteri diſſecti, omnem quidem eorum ſubſtantiam a ſanguine tumuiſſe, nullibi tamen eam craſſiorem, quam circa placentam occurriſſe. Alterum leve eſt: cum fœtus nutrimentum minime ex vaſis trahat, ſanguisque æqualiter per arterias ſpermaticas & hypogaſtricas in declives ac ſublimes uteri regiones impellatur. In tertio vanus eſt a lotio & ſudore metus; cum neuter iſtiusmodi liquorum circa fœtum fluat. Matulam enim ipſi, ſi forſan mingeret, allantoides quædam, a nunnullis inter chorion & amnion ſepoſita, a nobis autem multisque aliis nunquam viſa, porrigeret. Nec reliquum liquorem gelatinoſum *ſudorem* appellare licet, cum ab embryone hauriatur, ut vel nutrimenti partem præbeat, vel ſaltem primæ coctionis canales apertos ſervet. Tandem nec pondus embryonis, quod quartum urget, placentæ noxium eſſe, variæ inclinationes uterini fundi docent, quarum ſpecies laudatus Deventer l. c. fig. 18, 20, 21, 22, 25, 37 & 38 perbelle exhibet, quomodo ingraveſcens fœtus cum uteri fundo, cui incumbit, modo ad latera, modo ultra oſſa pubis, verſus genua matris devolvatur.

Hiſce oppido memorabilem obſervationem, a celeberrimo Schachero Diſſertationi inauguralis Dn. Seyleri, de Placentæ uterinæ morbis, pag. 14 inſertam, jungimus, cum ex ea cognoſcamus, jecur uterinum non fundo, aut cornibus, ſed cervici & oſtio uteri firmiſſime adnatum, nullam ab incumbente fœtu augmenti ſui remoram paſſum fuiſſe, quo minus eximiam molem atque craſſitiem, ipſum partum impoſſibilem reddentem, acquiſiverit.

Quod ſi inſuper, quæ fido manuum noſtrarum & multorum ſpectatorum oculato teſtimonio, de *remota placentæ a fundo ſede*, comperta habemus, afferre licet, quoad prius honeſtam fœminam citabimus, ad quam ſuperiori menſe vocabamur, ut eam a placenta liberaremus, cum obſtetrix, ſe id præſtare poſſe, negaret. Natus erat ante 5 vel 6 horas lepidus puellus, partu minime laborioſo: funiculus, ex genitalibus propendens, manum ad ſecundinas, *vix quatuor latos pollices* ab oſtio interno diſtantes, ducebat, ut facillimam nobis extractionem promitteremus. Sed adeo tenaciter parieti adnatæ erant, ut non niſi fruſtillatim excerperentur. Alterum exemplum offerebat mulier pau-

per-

percula, dudum qudrageſimum ætatis annum, cum prima vice conciperet, ſupergreſſa. Hæc partus laboribus obruta, cum fœtus anguſtas dilatarique renuentes vias tranſire nequiret, a motibus convulſivis extinguebatur. Dabatur mortuam diſſecandi copia, in cujus utero offendebamus fœtum maturum, grandem, capite pelvi uterique oſtio decenter inhærentem, facie oſſi ſacro obverſa, reliquo corpore in recta linea ad ſuperiora directo, quod in neutrum latus inclinatum, natibus calcaneiſque, ad illas contractis, fundum uteri attingebat, eumque placenta prorſus vacuum; quia hæc latus dextrum, ejusque medium inter fundum atque cerviem locum occupaverat, ſpectante magno numero adſtantium Philiatrorum civiumque oppidanorum, quibus hunc ſingularem, & a ſupra recenſitorum virorum opinione plane recedentem ſitum data opera oſtendebamus.

Latius hæc diduci poſſent, niſi ratio inſtituti nos ad hiſtoriam vitæ atque ſtudiorum clariſſimi & doctoralium in arte medica honorum digniſſimi Candidati,

MATTHIÆ ZACHARIÆ PILLINGII,

pertexendam avocaret. Patria ipſi eſt Altenburgum, urbs Miſniæ, propter antiquam magnorum Saxoniæ Electorum & sereniſſimorum Academiæ noſtræ Nutritorum ſedem, cultiſſimos inſuper civium mores & fertilitatem ſoli, nulli poſtponenda: ubi A. O. R. MDCLXXXV Patre D. D. MATTHIA ZACHARIA PILLINGIO, Medico feliciſſimo quondam & sereniſſ. Ducis Saxo Cicenſis Archiatro, civitatisque & præfecturæ Altenburgenſis Phyſico ut meritiſſimo ita celeberrimo, ſed aliquot ante filii nativitatem menſibus fatis cedente, uſus eſt. Mater MARGARETHA DOROTHEA SCHERFFIA, Matrona optima, honeſtiſſimæ familiæ decora pietate ſua ac vitæ innocentia mirifice amplificat; cujus cura tenellus a domeſticis Præceptoribus, adultior autem a publicis florentiſſimi Gymnaſii patrii Directoribus ac Moderatoribus clariſſimis meritisſimisque, GROSSERIS, WENZELIIS, FRISIIS, STERNIIS, &c. pietatis & bonarum literarum capitibus adeo fideliter inſtructus fuit, ut Ann. MDCCV., d. 27 Nevembr. a Pro-Rectore t. t. magnifico, D. D. GEORGIO WOLFFGANGO WEDELIO, Hered. in Swarza, Theoret. P. P. famigeratiſſimo, Com. Pal. Cæſ. Conſil. & Archiatr. Saxon. excellentiſſimo, inter Cives almæ noſtræ ſalanæ recipi, & poſtmodum, prius decenter in TREVNERIANIS & HAMBERGERIANIS Scholis Philoſophicis præ-

præparatus, per integrum triennium acroaſibus ejusdem, univerſum longæ Artis ambitum (ſola Anatomia & Botanica, quas ex me didicit, exceptis) ſolidiſſime & dexterrime tradentibus, utiliter intereſſe poſſet. Iunxit iisdem, non ſine fructu ſingulari, explicationem privatam Inſtitutionum & publicas lectiones B. D. ERNESTI HENRICI WEDELII, Med. P. P. extraordinarii, Phyſicique Ienenſ. & Vinarienſis meritisſimi, nec non Pathologicas D. D. SIM. PAULI HILSCHERI, Practici felicisſimi. Sub finem An. MDCCVIII abiit in patriam, ubi apud nos ex ore venerandi Academiæ & Facultatis medicæ Seniore, D. D. RUDOLFFO WILHELMO CRAUSIO, Hered. in Mellingen, Pract. & Chim. P. P. celeberrimo, itemque Acad. Nat. Cur. Collega primario, hauſta Praxeos fundamenta, per ſolertem D. D. MOSDORFFII, Phyſici Altenb. extraordinarii & feliciſſimi, manuductionem, ex ægrorum viſitatione medicamentorumque diſpenſatione eo usque perfecit, ut aptus judicaretur, qui, Deo conatibus benedicente, languenti proximo ſalutarem opem ferre poſſet. Neque fefellit opinio & concepta ſpes. Menſe Majo enim, labentis anni, ad nos reverſus, omnem movit lapidem, ut quicquid ex lectionibus publicis & privatis de morbis externis D. D. WEDELII, Patris, ejusque ſplendidiſſima veſtigia invidendis progresſibus legentis Filii, D. D. IO. ADOLPHI WEDELII, P. P. extraord. & Phyſ. Duc. Prov. Vinar. meritiſſimi, Chimia rationali experimentali auribus oculisque capere poſſet, in futuros uſus ſedulo conquireret. Quibus rebus factum eſt, ut ſummos in arte noſtra honores a Facultate decenter petens, in examinibus, conſveto more inſtitutis, nobis pleniſſime ſatisfecerit, dignusque habitus fuerit, cui ſub WEDELIANO Præſidio inauguralem DE TENESMO Diſſertationem habere liceret. Fiet hoc ipſum, volente Deo, proximo Mercurii die, & quidem maxima cum ſolennitate, ſi, quod Collegii Medici nomine obſervanter & officioſe peto, ProRector Magnificus, Academiæ Proceres & Cives honoratiores, numeroſique Artis Apollineæ & aliarum liberalium ſcientiarum cultores benevolas aures Diſputanti præbere, haud recuſabunt. P. P. Jenæ, ſub Sigillo Facultatis die 2 Novenbris, Anno MDCCX.

L. S.